

Biogr. er. D.

1589, 742



Rep. LXI.

r.

no. 27.

15566

AD  
ORATIONES SOLEMNES  
QVIBVS  
RECTOR ET CONRECTOR  
IN GYMNASIO GVELPHERBYTANO  
MVNIA  
A  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**CAROLO**  
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCE  
PATRE PATRIAE INDVLGENTISSIMO  
IPSI DELATA  
KALENDIS DECEMBR. c10cclxxviii.  
AVSPICABVNTVR  
BENEVOLE AVDIENDAS  
INVITANS

---

MEMORIAM  
VIRI AMPLISSIMI ATQVE PRAECELLENTISSIMI  
**IACOBI FRIDERICI HEVSINGERI**  
PHILOSOPHIAE DOCTORIS GYMNASII GVELPHERBYTANI  
RECTORIS  
ANTE D. VI. KAL. OCTOBR. c10cclxxviii.  
DEFVNCTI  
COMMENDAT  
**CHRISTIANVS LEISTE**  
RECTOR DESIGNATVS



---

GVELPHERBYTI FORMIS LITTERARVM BINDSEILIANIS

AD  
ORATIONES SOLEMNES

GAULVS  
RECTOR ET CORRECTOR  
IN GYMNASIO GUELPHENBURGENSI

ALINA

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

CAROLO

REVERENDISSIMO ET VENERABILISSIMO PATRI  
PATRI ET TITULO GELPHENBURGENSI

IN DIE DECEMBER

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

AUGUSTI

BENEVOLE AUDIENDAS

IN VITIS

MEMORIAM

REVERENDISSIMI ATQUE VENERABILISSIMI

JACOBI FRIEDERICI HEUSINGERI

PHILOSOPHI DOCTORIS GYMNASII GUELPHENBURGENSIS

RECTORIS

ANNO DOMINI MDCCCLXXXIII

DE VITIS

COMPLETAS

CHRISTIANVS LEISTE


RECTOR GYMNASII

GUELPHENBURGI FORMIS HERTZIANI H. N. 1833



**Q**uod iis accidere solet, qui nouas terrarum regiones perlustrare, fortunamque suam ibi experiri audent, vt, multis subinde difficultatibus impediti, aliisque ex aliis periculis territi, suam ipsi audaciam incusent; id mihi imminere video, qui e diuerso quodam studiorum genere, ad bene ornateque dicendum minus composito, tanquam e patrio solo, in oratorum criticorumque campos deferor. Statui enim de laudibus VIRI dicere, qui, dum viuebat, (et vtinam adhuc viueret!) inter Philologos et Criticos tam illustrem sibi vindicauit locum, vt, qui vim atque virtutem tanti ingenii rite aestimare velit, artis, quae in iudicando maxime cernitur, sane debeat esse peritissimus. Recte autem de re quadam iudicare is demum poterit, qui istam habet cognitam penitusque perspectam; et talis ego non sum.

Male igitur IMMORTALIS VIRI memoriae consuleretur, si conseruanda per me foret: verum aliter se res habet. HEVSINGERVS noster tot tamque egregia reliquit artis suae monumenta, vt per se ipse satis sit posteritati commendatus. Versantur eius scripta manibus doctissimorum: sic placent singula, vt, qui vnum alterumue virgula castigare ausus est censoria, is parum consideratus arbiter habitus sit a prudentissimis. Pauci isti, quos Germania, Belgium, Franco Gallia habet, graecarum romanarumque litterarum vindices et conseruatores, norunt hunc laudum suarum aemulum, aestimant plagulam quamque,



ingenio suo, tali videlicet, quale est in acutissimo critico, exarata, suaque voluntate prelo commissa, et quotquot ad manus eorum peruenerint, in thesauris habent.

Tantum igitur abest, ut is Vir laude mea et commendatione indigeat, ut meae potius quantulaecunque famae non magis consuluisse videar, ac si criticorum quispiam, graece et latine optime quidem, mathematicis autem rebus parum doctus, copiosissimum mathematici aut physici cuiusdam instrumentum sibi sumeret describendum. Equidem facile paterer, ut quisque alius me magis ad hoc negotium idoneus, id quod Ciuitas nostra, quod alumni huius Gymnasii, tam egregie instituti, quod Collegae omnes Ipsi debent, officii et amoris monumentum meo et reliquorum nomine poneret, praesertim cum tantam adhuc ex morte Eius perferentiam animi aegritudinem, ut quam saepissime cogitationes meae disturbentur.

Sed video, mihi ipsi debita esse persoluenda. Faciam igitur, quantum potero. Non exornabo laudibus, quod minime possum, nec depingam viuis coloribus imaginem beati Rectoris; sed paucis tantum adumbrabo vitam eius, ut sciant huius scholae alumni, qualem quantumque virum mors ipsis abstulerit.

Quod Bernoullii inter Mathematicos, Gronouii et Burmanni inter Philologos, Meibomii, Menkii, Carpzouii et alii diuerso doctrinarum genere clari homines fecisse videntur, ut artes, quas professi sunt, iure quodam haereditario sibi suisque vindicarent, id de Heusingerorum gente, humanioribus litteris prope addicta, contendere possumus. Ordiamur ab auo, GEORGIO FRANCISCO HEVSINGERO, qui in agro Gothano (Sundhusam incolae vicum dicunt) diuinas litteras interpretatus est.

Is

Is ex vxore, Anna Margaretha, Nicolai Ekharti, eodem munere functi, filia, XIII liberos, et in his VII filios, suscepit, quorum tres in cunis occubuerunt. Reliquos pater ipse prudenter erudiuit. E filiis CHRISTIANVS ANDREAS, nostri pater, sacris, IOANNES autem FRIDERICVS, natu maior, apud Gothanos, IOANNES MICHAEL, illud familiae, et Isenacensis Gymnafii, quod dirigebat, decus, et NICOLAVS FRANCISCVS apud Laubacenses, scholasticis muneribus praefuerunt. Io. Michaelis filius vnicus, FRIDERICUS, quoniam ad feliciffimum ingenium optima ratio conformatioque doctrinae accesserat, paterna institutione litteris humanioribus ita fuit exornatus, vt iam tum, cum Academiam Ienensem accederet, dubitarent nonnulli, vtrum docendi an discendi caussa eo venisset. Operam vero Iurisprudentiae ibi dedit ex voluntate Patris, istam ad futuros scholae vsus, artemque criticam multo opportuniorem existimantis, sanctiori doctrina, cui philologi plerumque nomen dant. Is deinde Serenissimo Duci Isenacensi ab epistolis fuit, et post Peucerum in illustri Gymnasio Patris Spartam, sed non diu, obtinuit; decessit enim in flore aetatis. Quoniam hic aequalis et aemulus nostri Heusingeri fuit, officiaque Cicero- nis (hanc gemmam Heusingerianae doctrinae) a Io. Michaele emendata, notisque egregiis illustrata post patris mortem accepit, vt publici iuris faceret; is autem liber post mortem eius in manus nostri venit, qui magnam vitae partem in perpoliendo eodem, omnibusque numeris absoluendo consumpsit: necessarium esse duxi; vt et huius vitam paucis attingerem.

Supra inter fratres Io. Michaelis primo loco posuimus Christianum Andream, natu secundum, apud Vsebornenses, quorum ager in Wetterauia situs ad Stolbergensis Principis di-

tionem pertinet, sacrorum antistitem. Is uxorem duxit Benignam Mariam Boehleriam, ex qua d. XI. mens. Aprilis, anno seculi huius decimo nono natus est

### IACOBVS FRIDERICVS HEVSINGER

Rector noster pie defunctus. Pater, vir probus et integer vitae, Halensium disciplina optime institutus, quam didicerat, artem, teneram aetatem informandi, simulac fieri potuit, tam feliciter adhibuit in filio suo, vt is religionis et linguarum principiis non institutus sed imbutus videretur. Memini enim, beatum saepius per iocum dicere, se nescire, vnde et quomodo ista hauserit. Sed hoc fido ac solerti praeceptore non diu vsus est. Amisit enim patrem MDCCXXIX. Mense Maio, vix decimum annum egressus.

Verum, quae est antiqua et constans Summi Patris clementia, quod ademtum erat huic optimae spei puerulo, large ipsi reddebatur. Duos inprimis habuit Patruos, paterno in eum animo affectos: Nicolaum Franciscum, et Io. Michaellem, quorum alter statim post patris mortem illum in domum suam, et scholam Laubacensem, quam post fratrem regebat, benigne recepit, alter autem, Io. Michael, Laubaco Gotham euocatus illius Gymnasii Professor, simul ac huius ingenium par erat validioribus nutrimentis, (erat autem vix XIV annos natus) ad se venire iussit, filiique loco habuit.

Quam quidem sortem noster a summa Numinis clementia grato semper animo retulit acceptam. Celeberrimus enim Patruus non solum publice in Gymnasio eum instituendum curauit, sed priuata etiam opera humanitatis studia, ad quae hunc iuuenem factum esse cognouerat, ita adiuuit, vt ad fastigium huius disciplinae accedere, arcemque ipsam expugnare ipsi liceret.

ret.



ret. In quo negotio ita versatus est peritissimus praeceptor, ut omnia privatae diligentiae propriisque conatibus relicta esse viderentur. Nec enim integras horas privatae institutioni, nec statutas lectiones arti cuidam destinavit: sed, si haereret noster, aut forte in errorem incidisset, tunc demum ipsi aderat. Ac ne id quidem cauebat prudentissimus vir, ut ne litterarum scientiam per ambages interdum quaereret.

Tali ratione, ni fallor, graecae linguae studium instituit. Etenim cum ad Gymnasium Gothanum accessisset, in initiis huius linguae longo eum post se interuallo reliqui sui ordinis ciues relinquebant; et tamen singulari quadam audacia ad edendum aliquem auctorem graecum animum adiciebat. Casu enim a Patruo audierat, neminem studiosius linguam aliquam tractare, penitusque discere, quam qui in edendo quodam auctore accurati verborum et linguae interpretis vicem sustineret. Ex quo ille sedulo percunctatus a patruo, quaenam sint illae vices, quaeque subsidia adhiberi possint; statim decrevit, auctoris gloriam sectari, adiunctisque sibi duobus sociis, Nonni Paraphrasin Euangelii Ioannis (nescio, quo consilio hunc librum) notis suis illustrare. Nulla deinde quies, nulla prope voluptas ex alia re, nullus confabulandi locus ipsi fuit, nisi de Nonno bene merendi copia esset data. Congerebantur lexica, indices, grammaticae, omniaque subsidia, a patruo ipsi commendata. Voces, locutiones, verba singula in principia sua resoluebantur, explicabanturque adiectis synonymis, locisque parallelis. Singula singulis plagulis describebantur, sociisque in stato conuentu exponebantur, et vel probata ab omnibus in cista, ad hunc finem in forulos pro numero Alphabeti diuisa quasi in archiuo condebantur, vel de ea re, quae dubia esset, ad patruum referebatur.

Tam

Tam pertinaci studio breui effecit, vt non solum reliquis suis condiscipulis opinione citius antecelleret; sed, quod limatioris est iudicii, vt ipsi graecae vetustatis auctores Nonno, notaeque et lucubrationes doctiorum, suis, longe praestantiores viderentur: eaque sola cogitatio eum ab incepto deduxit. Ne tamen bene de graeco quodam auctore merendi spem, sub ipsis tirociniis conceptam, plane abiiceret: patruus curauit, vt ex alio quodam opere solertia eius publice constaret. Talem occasionem praebebant Aesopi fabulae, quas notis et emendationibus suis exornatas prelo destinauerat doctissimus vir. Index vero adiiciendus erat huic libro. Cuius conficiendi rationem cum calleret noster; tradidit adolescentulo illud negotium, quo tam belle perfunctus est, vt cum laude patruus rarissimum hoc discipuli, in subselliis inferioribus versantis, opus in praefatione illius libri commemorare non dubitauerit.

Ex his, ni fallor, colligere iam possumus, egregiam eius fuisse litterarum graecarum scientiam; ac prope videtur ad reliqua studia tempus ipsi plane defuisse; sed non ita est. Eam enim semper tenuit legem, vt graeca cum latinis compararet, lucemque alteri ex altera affunderet; idque ex effectu apparet. Etenim non multo post, quam Ienam venerat, (adscriptus autem est huius Academiae ciuibus a. c<sup>o</sup> l<sup>o</sup> cc xxx vii) in societatem latinam adiunctus est, tanto omnium applausu, vt sponte huic primas partes concedere viderentur. Quotiescunque commentationes societatis nomine concinnandae erant, toties fere stilum eius flagitabant. Is omnibus placebat, hunc complures expectebant, qui de edendo specimine quodam Academico solliciti erant.

Hinc

Hinc factum est, ut ipsum nouae societatis latinae auctorem, studiorumque suorum moderatorem et praesidem esse complures vellent. Nescio quidem, quo anno id factum sit, prius tamen quam post impetratos a. XXXXIII. summos in philosophia honores fieri non potuit, quoniam id sine auctoritate publica nemini licet. Quod vero istam societatem instituerit, e carmine apparet, quo abutum eius ad capeffendum munus Conrectoris in Ducali Guelpherbytana exeunte a. XXXXIX. gratulantur eius societatis membra, quorum in numero sunt LAVR. IO. DAN. SVCCOV, et IO. CHRIST. BASCHE, vterque iam tunc temporis Philosophiae Doctores, quorum alter Mathesin et Physicam magna cum laude adhuc ibidem profitetur, alter vero liberalium artium magister Praeses eius societatis post Heusingerum nostrum designatus est.

Duodecim igitur annos, et quod excurrit, in Academia Ienensi transegit; sex priores discendis, reliquos sex docendis artibus liberalibus tribuit. In discendis artibus hanc sibi praescripsit legem, ut omnes, quae communi quodam vinculo continentur, et cohaerent inter se, non pertractaret quidem penitus, ac pernosceret, sed degustaret tamen, et quidquid ad rem suam pertineret, maiori studio coleret. Etenim cum philologo quotidie fere explicandi sint libri, a viris vario ac plane diuerso disciplinarum genere excultis, hique iterum locos ex aliis scriptoribus depromptos habeant: nescio, an quisquam istarum rerum rudis boni interpretis et critici personam agere possit. Itaque scholis theologorum et philosophorum, apud quos nomen professus est, interfuit quidem maxime, at vero reliquas non plane praetergressus est; et ex consuetudine et familiaritate cum Iuris peritis et medicis multa percepit, quae

B studiis

studiis suis aliquando inferuire possent. Ex quo illum nullius bonae artis contemptorem fuisse, sed quamlibet potius eruditionis partem aestimasse, abunde satis apparet.


Interim tamen cum naturali quadam propensione ad litteras humaniores ferretur, plurimum temporis romanis graecisque auctoribus perlegendis, explicandis, conferendisque cum optimis exemplaribus tribuit, tantoque saepius feruore haec studia tractauit, vt, nisi firmissimo corpore vsus esset, sane occubuisset. Verbi causa, statim ab initio academici curriculum cum contubernali suo, iisdem studiis dedito, Homerum perlegere, eique *alternas noctes integras* consecrare statuerat. Alterius autem valetudo breui tempore sic imminuebatur, vt consilium hoc ipsi abiiciendum esset. Noster per aliquot menses lucubrationes istas pertulit. Quam tamen studiorum rationem magis ad iuuenilia peccata, quam inter laudes eius referendam esse, per se patet; eamque silentio sane praeteriissem, nisi causa, ob quam inierat, ingenium eius moresque quodammodo detegeret. Namque amicitias, honestas consuetudines, familiaritates noster sic colebat, tantamque ex iis percipiebat iucunditatem, vt partem noctis, seu totam noctem a somno studiorum causa abstinere, quam nonnullas diei horas amicorum conuersationibus auferre mallet. Saepius igitur dixit, se illud plane non meruisse, quod Illustr. Harlesius, falsa narratione deceptus, in vita sua commemorat: „se nihil genio indulsisse academico, semper latuisse in museo, libris quasi sepultum, deambulatione raro se recreasse; ex eoque morbum illum sibi contraxisse molestum et diuturnum, quo omnes paene litteris nimium intenti laborare solent.“ Nunquam enim isto morbo laborauit. Quod vero lucubrationibus suis nulla vitae incommoda sibi contraxit, sed, si duos extremos vitae  
annos

annos exceperis, constanti usus est valetudine, etsi eius nunquam fortasse fuerit nimium studiosus: id post Deum robori corporis, insignique naturae beneficio tribuendum esse videtur.

At vero amicis delectationibusque honestis non magis, quam famae suae existimationique studebat. Inde omnibus erat gratus, multique doctrinam eius expetebant, adeo, ut cum cuius adhuc esset academicus, bis ei offerretur munus scholasticum. Primum Werthemum ad Rectoris, deinde Altenburgum, ad Conrectoris munia obeunda, fuit inuitatus. Quoniam vero tunc humanitatis studia non adeo vigeabant in Academia Ienensi, ut iis docendis plures Heusingeri pares essent; hunc unum Patroni aliique amittere noluerunt, effeceruntque, ut, hisce provinciis modeste declinatis, academici doctoris honores adspiraret. Quibus impetratis scholas suas multis applaudentibus aperuit. Docuit autem antiquitates graecas et romanas, exposuit utriusque linguae auctores classicos, rarius tamen, quoniam in Academiis paucissimi hoc e re sua ducunt. Tanto frequentiores erant lectiones philologicae et exegeticae in Nouum Testamentum, quibus, quoad in Academia fuit, semper vacauit.

Nonnullis auditoribus usus est familiarissime, in quibus etiam Virum summe venerabilem, Grunerum, antiquitatum omnisque humanitatis studiosissimum, Coburgensis Gymnasii postea professorem, et denique Theologiae in Halensi Academia D. et P. P. O. ad beatorum coetus nuper euocatum, fuisse recordor.

Inter has occupationes artem criticam magis magisque excoluit. Conquisiuit vndique codices antiquos membranaceos, et, collatis cum iisdem optimis editionibus typis exscriptis, sedulo inuestigauit, an aliquid sanandum aut castigandum praerberent.



berent. Talem inuenit in Bibliotheca Academiae Ienensis, ex quo ad Patruī editionem Cornelii Nepotis in vita Attici non contemnendam medicinam attulit.

Cum celeberrimis ea aetate criticis, Gesnero, Heumanno, Ernesto, Fischero aliisque, maxime autem cum Patruo suo commercia litteraria habuit; huiusque imprimis consilio motus Plutarchi librum de Puerorum educatione Lipsiae cl. 1749. edendum curauit.


Vix in manus eruditorum venerat egregium hoc eruditionis suae specimen, cum **SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO** a viro summe venerabili HASSEL, Ephoro huius Gymnasii beate defuncto, diligentissime commendatus, ad officium Conrectoris in schola nostra ducali subeundum clementissime praeter omnem suam opinionem vocaretur. Non recusauit hoc munus a **TANTO PRINCIPE** sibi oblatum, eoque lubentius nostram urbem petiit, quo magis iam diu augustam, qua superbit, Bibliothecam tot rarissimis Msptis, aliisque praestantissimis libris abundantem perlustrare, nouaque inde artis suae adiumenta reportare desiderauerat. Cui desiderio cum commodius pleniusque hic satisfacere posset, nulla noui officii parte neglecta: non difficulter academica vita scholasticae post habita, sub ipsis anni 1749. auspiciis huc se contulit, et paulo post solempni oratione, in maiori Gymnasii nostri auditorio habita, munus suum ingressus est.

Habebat igitur eo tempore Gymnasium nostrum duos celeberrimos praeceptores, Rectorem, IO. CHRISTO. DOMMERICH, Philosophiae Doctorem, et eiusdem facultatis in Helmstadiensi academia olim adiunctum, qui in theologicis, philosophicis  
et

et

et aestheticis disciplinis, nec minus in arte paedagogica erat versatissimus, et nunc quoque Conrectorem, quem nobis Academiae inuidebant. Sed vix octo annos Heusingerus apud nos commoratus erat, cum Serenissimus Isenacensium Princeps Heusingerorum nomini ob promerita ipsorum fauens, hunc illustris sui gymnasii directorem esse vellet, et nisi noua CAROLI, nostri Clementissimi Patris Patriae, gratia obstructus fuisset, veniam, accipiendi hanc conditionem, submisisset. Factum est deinde, a. clō Io CCLIX, vt Dommerichius Helmstadium, vbi nuper clō Io CCLXVII media aetate decessit, reuerteretur, iussu Serenissimi Principis Logices et Metaphysices P. P. designatus. Ex quo beatus noster Rectoris, Subconrector autem, HENR. BAS. HOFFMANNVS, Conrectoris munia obtinuit. Postquam hic initio mensis Aprilis clō Io CCLXI praematura morte decesserat: Heusingerus noster solus curauit ea officia, quae duorum esse solent; donec post quinquennium mihi contigit esse tam felici, vt socius ipsi et collega adiungerer. Ea autem felicitas mihi nobisque omnibus funesta morte nuper est erepta.

Biennium est, ex quo valetudo eius constans non fuit. Semper fere hoc tempore oculorum ingratiſſima titillatione, saepius vertigine vexabatur, quae mala e stomachi vitio, sicut hoc e potus defectu (eius enim semper nimium abstinens fuit) originem ducere videbantur. Mense huius anni sextili morbo grauiori afficiebatur, quem peritissimo medico suo letalem statim visum esse scio, quoniam ex hepate et felle illum deriuabat; et haec opinio doctissimum Virum non fefellit. Corruptio enim hepatis, quam inflammatio excepit, intulit huic Viro ante d. VI. Kal. Octobr. hora VI. post meridiem, acerbissimam mortem; quam cum multo ante et pie meditatoſus eſſet, sic ex-



spectavit, ut, ipsos mortis terrores quanto animo homo vere christianus superare possit, egregio esset exemplo.

Matrimonium bis contraxit. I, ante d. VII. Kal. Nou. anni h. f. LI. cum CLARA DOROTHEA ELEONORA nata CANTORIS, quae decessit Non. Septemb. LV. relinquens ex se CONRADVM nostrum et ANNAM LVISAM n. d. IV. Non. Maii.

II, d. VIII. Kal. Octobr. a. h. f. LVI. cum MARIA ELISABETA HENRICA nata SCHVRMANN, matre ANTON. ELISAB. WII.H. n. LVII. mortuae LXI, ELIS. CATH. CHRISTIANAE n. LIX. m. LXI, et superstitem, SOPHIAE FRIDERICAE n. d. V. Kal. April. LXI, SOPHIAE MAGDAL. IOANN. n. d. XVII. Kal. Decembr. LXIII. et IOANNIS n. d. VIII. Kal. Iul. LXIX. Omnes sunt hac indole, ut degenerem prolem prorsus non habeat.


Restat adhuc, ut de ingenio et moribus huius Viri pauca dicamus. De se ipse statuebat: si quid ipsi esset ingenii; hoc minus in docilitate memoriaque sua, quam in iudicio positum esse. Memoriae suae parum confidebat, etsi raro eum fefellerat. Memoriter nihil adducebat ex auctoribus, sed verba ipsa ex iisdem describere solebat, veritus ne quid omitteret aut immutaret. Certi igitur esse possumus, citationes singulas, in scriptis suis occurrentes, esse exactissimas. Ceterum hoc magis verecundiae suae, quam imbecillitati memoriae tribuo. Etenim nec in publica institutione, nec in priuatis sermonibus ipsi vnquam defuit copia dicendi, et, quod saepe miratus sum, de rebus quae testimoniis nituntur, si ad forum suum pertinerent, quid et a quibus testatum esset, in promptu habuit.

Idem fere de imaginandi facultate valet, quae ingenii vis certe quidem bona, at non prorsus singularis fuisse videtur. Qui enim ista abundant, plerumque viuido, floribus vbique  
 exor-



exornato, et vehementiori quodam vti solent dicendi genere. Heusingeri autem sermo purus quidem, elegans, exactus, maximeque perspicuus, sed planus, placidi et tranquilli fluminis instar, tardior magis, quam concitator, minime iniucundus sed plenus vrbauitatis esse solebat. Satis omnino ingenii in eo erat, si commodum ipsi videbatur, lepores et facetias, non raro praeter expectationem risum excitantes, colloquiis suis intermiscendi, aut vitia, si increpanda essent, sermonibus notandi sale et felle conditis. Et quis desiderauit vnquam ingenium huius viri in operibus suis criticis, in orationibus tam solutis quam ligatis, et praecipue in epigrammatibus, quae composuit felicissimo sane ingenio? Exstant horum nonnulla typis exscripta, quibus peritissimi non minorem fere tribuunt elegantiam venustatemque, ac si quis aurei seculi poeta haec pegisset.

Ex omnibus tamen, si quid video, maxime elucet iudicii singularis vis. Quae nisi tanta fuisset, summo studio atque labore talem doctrinae famam nunquam consecutus esset. Sunt certe plures tenaciori memoria praediti, complectuntur vastiorem verborum rerumque numerum, et tamen latent haec omnia obscuro in capite recondita. Hic vero nihil nisi ordine, et cum grano quodam, vt dicunt, salis didicerat; quare omnia ad suos vsus promta habebat atque parata. Sciunt omnes, qui literas profitentur, e scopo et contextu verum auctoris sensum esse eruendum, memoria fortasse tenent optimas interpretandi regulas, non latet finis auctoris plerumque satis clare indicatus: et tamen, an et quomodo cohaereant verba inter se, saepius omnibus artificiiis suis inuestigare nequeunt. Hoc est naturale illud acumen ingenii, quod talibus est denegatum, quoque noster plurimum valebat. Hoc acumine legebat auctores, nullumque  
facile



facile praetermittebat locum, vel peruerse interpretatum, vel librariorum (nisi fortasse aliquando ipsius auctoris) vitio corruptum, eique tam diu inhaerebat, donec sanio rem sensum inuenerat. Sic quotidie mens exercebatur; et quoniam non ex artificialis logicae praeceptis (vt ipse saepius contendit, meritum tamen ei statuens pretium, quippe quam ipse discipulis suis accurate docuit) sed vsu et attentione ad res ipsi obuersantes artem sibi, singula ad aequam rationis lancem vocandi, acquisiuerat: non solum in museo, sed vbique, nec in re philologica tantum, sed domestica quoque philosophi vere practici dignitatem tuebatur. Illud modo adiungere commodum mihi videtur, quod publice saepius in schola professus est, Mathesin, et praecipue Geometriam, quam ante me ex ERNESTI initiis tradidit, vtilissimam sibi fuisse ad acuendum ingenium; eamque ob causam discipulis suis maxime commendauit.

Quod grauissimi viri iudicium propterea aestimandum est, quod ipse in nulla Philosophiae parte hospes fuit: idque nisi alia existerent documenta prope ex magna familiaritate colligere liceret, quae ipsi Ienae cum illustri Daries fuit. Videtur tamen magis antiquorum, quam recentiorum philosophorum praeceptis operam dedisse, maxime veterum auctorum et praecipue poëtarum causa; in quorum interpretatione multa requiruntur, ex omni philosophica historia depromta. Pythagoraei quidam sunt, nonnulli Socratici: non desunt Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei; et a poëtis in vno saepe carmine multorum philosophorum placita coniunguntur. Horum omnium scholas noster frequentauerat, praecipue tamen Academicis, et quidem tertiae scholae, cuius auctor Carneades est, omnium maxime fauebat, ipse ad dubitandum pronus. In quo tamen hanc legem

gem

gem seruabat, vt nemini dubia moueret, qui nec par erat iis ferendis, nec satis aequum disceptandis iisdem adferebat animum. Non enim vanam disputando gloriam, sed ipsam veritatem quae- rebat. Ipse autem tam moderate dubia sua prosequeretur, vt, si ipsum cum acerrimo aduersario disputantem vidisses, fel et bilem ipsi plane defuisse crederes. Nec tamen blandiri solebat aduersariis suis, praesertim si acrioribus eum incesserent dictis. Quod Klotzius expertus est in controuersia de fragmentis Cornelii Nepotis, in perantiquo Philippicarum Tullii codice ab Heusingero repertis, editisque programme orationis, qua Rectoris munus inchoauit.

Quorum quidem fragmentorum integritatem ex indiciis tam manifestis, tamque consentientibus elucere sibi persuaerat noster, vt argumentis istam stabilire prorsus superuacaneum duceret. Longe tamen aliter sentiens Klotzius hoc cautissimi viri iudicium festinantius in Actis Eruditorum eiusdem anni p. 93. acri reprehensione perstrinxit, existimans, fore, vt omnes, qui teretes et doctas aures habent, statim ex ipsa fragmentorum recitatione sonum, nescio, quam longe diuersum, et quasi peregrinum et barbarum in auribus sentiant. Et quoniam ex ipsa dictione nil Cornelio, nil Roma dignum spirare ipsi visum est; erumpit tandem indignatio Viri hisce verbis. „Pudeat vero nos haec fragmenta, nec latina, nec perspicua, nec Cornelio digna, purissimo et elegantissimo scriptori tribuere: potius reiciamus hunc pannum, nisi nos omnia fallunt, *ab homunculo otio nimis affluenti*, purpurae Cornelianae assutum.“ Sed non obtemperarunt ipsi nec Rhunkenius, nec Fischerus, qui hunc pannum editioni suae Cornelianae adiecit, nec alii, quorum magna est in hac re auctoritas; postquam Heusingerus anno 1760 programme altero haec fragmenta a censoria Klotzii virgula vindicaue-

cauerat, rationibus desumptis e Codicis vetustate, fragmentorum argumento, verbisque ipsis et dictionibus, singulis in Nepote, Cicerone aliisque auctoribus probatissimis eodem sensu occurrentibus. Non commouerunt quidem istae rationes Klotzium, vt a sententia sua discederet; impugnauit enim et hoc programma in miscellaneis criticis, quae Traiecti typis sunt exscripta, p. 44 -- 53; longe tamen modestius. Et quoniam per litteras etiam animum ipsi beneuolentiae atque amoris plenum significauerat: noster in Accessione ista ad vindicias fragmentorum Nepotis, quam cum his et priore programmate Mallio suo, Lugduni Batauorum edito, adiiciendam curauit, iterum quidem, at vero humanissime et modestissime, aduersarium suum refellit.

Dixi supra, se ad dubia pronum fuisse. Quod non ita intellectum esse volo, ac si scepticismo nimium indulserit. Tanto minus id de rebus fidei, quae ad salutem nostram necessaria sunt, contendo. De iis enim publice ita semper disseruit, vt ecclesiae nostrae symbola flagitant; et quanta ipse in Deum pietate fuerit, hoc satis declarauit, cum vita, quae honesta semper fuit, tum morte; quam plenus fiduciae in Deum salutemque per Christum nobis partam expectauit. Magistratui scholastico et patronis ob sapientem accuratamque officii sui administrationem carus; collegis exoptatus, discipulis venerabilis fuit. Cum paucis fuit arctiori familiaritate coniunctus, quorum in numero viri sunt summis muneribus exornati; consuetudines cum pluribus contraxit. Saepius dissidentes inter se cum eo fuerunt coniunctissimi, ex quo prudentia eius satis apparet. Rei familiaris fuit studiosus, ita tamen, vt egentes non frustra auxilium eius et dona flagitarent; nec quidquam contra decorum admisit. Coniugium eius fuit pacatissimum et sane fortunatum. Liberorum ex  
vtrouque

utroque matrimonio liberaliter et ad omnem honestatis cultum educandorum fuit diligentissimus; et, quae est rarissima nouercae laus, HONESTISSIMA SCHVRMANNIA, quam viduam reliquit, liberis germanis non est carior, quam ex priori coniugio susceptis. Patrimonium liberis suis reliquit sane magnum: pietatem, solertiam, gratiamque apud omnes.

Quae huc vsque de Heusingeri vita, ingenio, et moribus consignavi, destinata fuerunt exsequiis beati Viri, quas programme profequi antiquus scholae mos, gratusque animus postulare mihi videbantur. De scriptis eius tum editis, tum postremas doctissimi filii curas, et quod maxime optandum, minus difficiles bibliopolas flagitantibus, quoniam nec singula ab Ill. Harlesio, quem honoris causa nomino, enumerata, nec ea, quae beatus Vir de vno alteroque mihi commemoravit, omnibus nota sunt, statueram alio loco vberius differere. Consultius autem visum est VIRO humanissimo, EPHORO nostro SVMME VENERANDO, cuius voluntati obtempero, vt par est, lubentissime, programma hoc non sine indice illorum typis committere, et quae forte de iis dicenda essent, filio relinquere. Solos igitur exhibeo titulos librorum, qui hoc ordine in publicum prodierunt.

1. Codicis M. S. qui *Aiacem et Electram Sophoclis* continet, brevis descriptio, et in easdem tragoedias obseruationum specimen. Disp. qua summos ordinis philos. honores adeptus est, respondente FRID. GVIL. LIEBE. Ienae. d. XX. Mart. clolcccxxxv. 4.
2. De locis Noui Test. Matth. XVI, 13 et 20. Luc. VII, 47. Iac. II, 18. quos Criticus anonymus (HEVMANNVM fuisse, postea innotuit) in *corruptionis suspicionem* nuper vocauit, Disp. Resp. FRID. GVIL. NOLDE. Ienae d. XVIII. Mart. clolcccxxxvi. 4.
3. Dissertatio epistolica (ad Frid. Andr. Hallbauerum) de *donariis poetarum*. Ienae a. d. III. Id. August. xxxvi. 4.

4. Πλουτάρχου περὶ παιδων ἀγωγῆς. *Plut. de lib. educat.* Commentarius cum noua interpretatione latina et adnotationibus CHRIST. AVG. HEVMANNI. Editionem curauit, GVIL. XYLANDRI, suasque obseruationes addidit IAC. FRID. HEVSINGERVS. Accedunt indices locupletissimi. Lips. apud Mullerum XLVIII. 8.
5. In *Plutarchi* librum *de amici et assentatoris discrimine* commentatio critica. Guelpherb. LI. 4.
6. *De quatuor euangeliorum codice graeco*, quem antiqua manu in membrana scriptum Guelpherbytana bibliotheca seruat. Progr. LII. 4.
7. *Plinii epistolarum emendationes aliquot.* Progr. Guelph. LIII. 4.
8. *Fl. Mallii Theodori de metris* liber, ex antiquissimis membranis Bibl. Augustae descriptus, animaduersionibus breuibus emendatus. Guelph. LV. 4.
9. Prolusio de *versibus Horatianis*, quibus eques importunus Lucilii defensor facete reprehenditur; caussa parum manifesta ab Horatio abiudicatis. Guelph. LIX. 4.
10. De *Nepote Cornelio* bene merendi aliquot subsidia Bibliothecae Guelpherbytanae priscae eruditionis amantibus indicat I. F. H. Guelph. LIX. 4.
11. *Fragmenta Cornelii Nepotis* Guelpherbytana a censoria Lipsiensis critici virgula vindicat I. F. H. Guelph. LX. 4.
12. Ad iusta funebria HENR. BAS. HOFFMANNO Correcta, Guelph. peragenda *Graecam Ancyranum marmoris inscriptionem* ex Doulae et Dorensuami collatione restituit. Guelph. LXI. 4.
13. *Duas aras Diis beneficiorum auctoribus olim consecratas*, nunc ex antiquioris Graeciae parietinis erutas, restituit I. F. H. Guelph. LXII. 4.
14. *Fl. Mallii Theodori de metris* liber. E vetustis Thesauri Guelpherbytani membranis antea protulerat, nunc ad fidem Codd. Parisiensium castigauit, obseru. illustrauit, praeterque scriptorum aliquot veterum apospasmata, Cornelii Nepotis fragmenta Guelpherbytana cum Defensionibus suis adiecit I. F. H. Lugd. Batau, apud Henr. Mostert. c1816. 8. mai.

15. *Emen-*

15. *Emendationum Callimacbiarum* periculum. Guelph. LXVI. 4.  
 16. Memoriam *Gymnasia Polyidei refecti* ex Ancyranum marmoris frag-  
 mento repraesentat I. F. H. Guelph. LXVI. 4.  
 17. *Nicacae* Bithyniae vrbis *in*scriptiones aliquot restituit. Guelph.  
 LXVIII. 4.  
 18. *Heroidum Ouidianarum emendationes* Guelpherbytanae ad Harle-  
 sium V. C. in III. Lessingii drittem Beytrage zur Geschichte und  
 Litteratur.

✱   ✱   ✱

Vix tabellam hanc confeceram, cum omni spe et opinione  
 citius, ( paulo post initium mensis Octobris ) noua SE-  
 RENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, CAROLI,  
 gratia Gymnasio nostro affulsit. Caut enim clementissime, ne  
 quid detrimenti caperet res nostra scholastica vacationis diutur-  
 nitate, factumque est generosissima SVMMORVM PRAESVLVM  
 AC CVRATORVM commendatione, vt INDVLGENTISSI-  
 MVS PATER PATRIAE me RECTOREM, CONRADVM  
 vero HEVSINGERVM, Virum Clarissimum et doctissimum, beati  
 Rectoris filium natu maiorem, CONRECTOREM esse iuberet. Quae  
 insignis gratia quo minus a me supplicibus quaesita est precibus;  
 tanto est praestantior, tantoque magis me excitat et adstringit  
 ad nouum hoc, mihi que sane arduum officium omni opera,  
 studio, fide et pietate peragendum. Idque bono polliceor ani-  
 mo, non quasi viribus meis, quae tenuissimae sunt, tantum  
 confiderem, sed quia Summo Numini has vices refero acceptas,  
 cuius auxilio facere omnia in rem iuuentutis nostrae audeo,  
 optoque non minus, quam felicitatem meam, hac tantummodo  
 via mihi quaerendam. Eodem igitur animo, quo hanc exspe-  
 cto, ( et quis est adeo diffidens rebus suis, vt nullam sibi de-

stinatam putet felicitatem?) bono, inquam, et audenti animo me id, quod publice promisi, seruaturum spero, gratulorque mihi, fore, vt ipsa noui muneris ratio, bene de re publica merendi, gratiamque **SERENISSIMI PRINCIPIS**, QVEM Deus cum **CELSISSIMA DOMO** sospitem nobis conseruet quam diutissime, et beniuolentiam **SVM MORVM FAVORVM** non modo conseruandi, sed etiam augendi occasionem largissime mihi praebeat.

Possum praeterea affirmare, id non parum recreare et reficere animum meum, quod Viro insignis eruditionis atque omnis humanitatis laude florentissimo, **HEVSINGERO**, doctoris secundi partes datae sunt. Hunc Virum non nuper demum, sed iam e schola cognoui; eodem inde a pueritia et ludo, cuius me quoque moderatorem fuisse cum voluptate quadam glorior, ad adultam vsque aetatem illudque tempus, quo ipse solertissimi praeceptoris famam consecutus est, familiariter usus sum; semperque existimaui, patris ingenium, doctrinam, virtutesque omnes in hoc me altero efflorescere. Quam vere iudicauerim, **LECTORES** mei ex ipso vitae curriculo, de patris meta et vestigiis non deflectente cognoscent. Haec sunt verba eius:

„**M**inime multi fuerint scholarum doctores, quibus tam felicibus esse licuit, vt prima ab infantia educatis in domo  
 „praeceptrice,  
 „in patria dulci, timidorum ante ora parentum,  
 „in patriae vrbis schola, a patre eandem scholam haud poenitentis auspiciis moderante, litteras artesque contigerit ac  
 „mores



„mores doceri; vt hi postea in eodem patrio gymnasio consti-  
„tuti sint praeceptores. Quod quidem maximo Summi Numi-  
„nis beneficio contigisse fatebor mihi,

CONRADO HEVSINGER,

„quem Wolfenbittelae anno saeculi nostri secundo et quinqu-  
„gesimo, ante diem quartum nonas augustas, CLARA DOROTH.  
„ELEON. CANTORISIA peperit IACOBO FRIDERICO HEVSINGERO,  
„illo tempore, quo nascerer, in gymnasio Guelpherbytano  
„conrectori, cuius etiam nupera morte eadem schola rectorem  
„litterate peritum amisisse atque industrium fatetur, omnes do-  
„cti bonique virum doctum ac bonum, et ipse moestissimus  
„filius carissimum patrem meique amantissimum. Is, quum  
„primum per aetatulam facere poterat, animum filioli tenerum  
„iis artibus imbuebat, quibus ad humanitatem pueri informari  
„solent. Faciebat autem methodo adeo iucunda ac tenelli ca-  
„ptui accommodata; patris sui, credo, sequutus exemplum;  
„vt ego quoque, quo potissimum tempore, qua via mihi tra-  
„dita sint Romanae linguae elementa, plane me nescire fatear.  
„Memini me, iam adolescentem, inuenire chartam inter te-  
„mere abiectas, in qua manu sua declinationum terminationes,  
„trium generum ordinem secutus, variis, quibus nitidius dis-  
„tinguerentur, coloribus pinxerat: et quum ipse, miratus in  
„gravi viro puerilem ludum, interrogassem: Quando haec lu-  
„sisti, mi pater? eum dicere: Quum tecum, mi Heusingere,  
„puerulus essem. Fundamentis deinde, quorum curate in pue-  
„ro iaciendorum sibi sumserat prouinciam, alios arbitratus ce-  
„tera feliciter esse superstructuros, muneris ipse negotiis distri-  
„ctus, delegit sibi ex primi ordinis discipulis suis alium post  
„alium, quibus filium credere erudiendum poterat. Ex his po-  
„tissimum

„tissimum debitas gratias ago fratribus DEDEKINDIS, quorum  
 „vterque summa cum laude, alter apud Helmstädienses Consu-  
 „lis, Regioluterae alter munere Medici, funguntur. Anno  
 „MDCCLVIII, quo pater, post DOMMERICHII in academiam  
 „Iulio-carolinam discessum, rectoris munus iniit, septimum me  
 „aetatis annum agentem, publicae scholae maturum, ad eam  
 „adduxit, vbi praeceptorum haud poenitentorum, CHPH. LVD.  
 „VLD. DEDEKINDI, supra laudatorum fratris, postea apud Re-  
 „gioluteranos rectoris scholastici, iam pie defuncti; et per qua-  
 „driennium Viri Orn. FRIDERICI GEBH. RADELOFF institutione  
 „fidei fructus sum. Huic egregio VIRO, SVBCONRECTORI in  
 „schola nostra laudatissimo, iam exoptatissimo Collegae meo,  
 „multis nominibus me obstrictum esse, publice profiteor. Is  
 „enim instituto more, ad excitandos pueros multum faciente,  
 „de sedentium locis per industriam ac diligentiam decertandi,  
 „animum puerilis ambitus haud insontem meum, ita ad cupi-  
 „ditatem discendi, dummodo alios vincerem, exciuit, vt post  
 „diem tertium, quam secundanis suis adscriptus essem, ex in-  
 „fimis subselliis, in quartum a supremo locum, eueherer. Ex  
 „illo tempore historia et poësis Latina aequae ac Teutonica,  
 „qua praecipue VIR CL. pollebat, in amoribus puero esse; tum  
 „ego omnia mouere ac tentare, an historicos, quo vetus La-  
 „tium superbit, intelligere, et versus Romanos Germanosque  
 „ipse facere possem. Et Ille specimina, quot et qualiacumque  
 „afferebam, non in schola modo, sed etiam domi suae, inde-  
 „fessa cum fide, nec offensus iuuenili scribendi pruritu, corri-  
 „gere; castigando, ridendo saepius, quae immutanda, quae  
 „vel recidenda vel adiicienda viderentur, docere. Anno igitur  
 „clo 10 CCLXIII. (aetatis duodecimum egressus) a patre di-  
 „gnus sum habitus, qui primi ordinis alumnis adnumerarer.  
 „Duos

„Duos abhinc integros annos coram patre et sub oculis ipsius  
„Latina cum Graecis, Graeca cum Latinis et reliqua didici,  
„quae auditores suos docebat illo tempore solus. Nam Con-  
„rector gymnasii nostro nullus erat; quod HENR. BASIL. HOFF-  
„MANNO, aliquot annis ante mortuo, propter bellicas aliasque  
„turbas suffectus in eum diem nemo fuerat. Quid inde? Quum  
„non omnia omnes possumus, pater quoque omnia scitu di-  
„gna, nec scire, nec docere solus poterat. Illud igitur feli-  
„cissimum tempus et scholae, et omnibus mecum in ea discen-  
„tibus contigisse persuasus sum, quum adnitente VIRO SVMME  
„VENERABILI, FRANCISCO ANTONIO KNITTEL,  
„EPHORO GYMNASII GRAVISSIMO (qui quamuis innu-  
„meris aliis, egregie vel hoc solo, in vniuersam scholam redun-  
„danti, beneficiis de me promeruit) sed quum illo curam ge-  
„rente, patri meo collega daretur CHRISTIANVS LEISTE, in-  
„signis eruditionis atque omnis humanitatis laude florentissi-  
„mus VIR. Huic omnino, si qua est in me Geographices, Ma-  
„theseos, Heraldices, aliarum artium notitia, eam debere me  
„dico. Historiam praesertim ita docebat; ita genealogicis ta-  
„bulis, quas calamo excipiebam, illustrabat, vt praelectioni-  
„bus academicorum historicis, priuata exercitatione contentus,  
„superfedere potuerim. Non enim dictabat, ab Hubnero aut  
„ab aliis mutuata, nuda familiarum celsissimarum schemata,  
„sed in iis res a quouis imperatore ac rege gestas memorabilio-  
„res tam breui ac sapienti delectu suggerebat, tam concinna et  
„rotunda narratione; vt perlustranti tabulam, haud mera no-  
„mina ducum, coniugum, annorum numeri, sed vna cum his  
„ipsa facta totaque heroum in compendium missa historia, pri-  
„mo quasi apparerent oculorum obtutu. Id quantum ad bene-  
„docendum, ad facile discendum quantum proficiat, vberiori-

D

bus

1103108


„bus euincere, nec praesentis temporis, nec mei consilii est;  
 „quippe qui insigni HUMANISSIMI VIRI modestiae, Rectoris in  
 „posterum mei, plurima, qua debeo, reuerentia colendi, gra-  
 „uius iam a me consultum esse vererer, nisi gratae discipuli  
 „voluntati impetrabilem ab Ipso veniam sperarem. Pater inter-  
 „ea domi, Graeca et Latina legendi, assiduus hortator; codi-  
 „ces etiam MSS. cum ipso inspiciendi et conferendi, quorum  
 „Augusta SERENISSIMORVM DVCVM nostrorum bibliotheca  
 „copiam abunde suppeditabat. Ipse, quum historiam prae ce-  
 „teris adamarem, vespertina tempora Curtii, Suetonii, Velleii,  
 „aliorum lectiunculis consumebam; Liuium, qui Romanae hi-  
 „storiae facile princeps, mihi potissimum arrideret, priuata  
 „lectione totum ter exigebam. Idem pater, quo aliqua laude  
 „publica incitarer, permittebat anno d<sup>o</sup> 10 CCLXVIII, quum  
 „faustum natalem CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
 „CAROLI, schola Wolfenbuttelana sollemni panegyri conce-  
 „lebratura esset, vt in publicae gratulationis interpretibus, ipse  
 „oratione Latina, quam meo Marte elaboraueram, *singula-*  
 „*rem, quo SUMMVS PATER PATRIAE Musas complecti-*  
 „*tur, fauorem* praedicarem: quumque Mallium suum de Me-  
 „tris Lugduni Bat. emissurus esset, et ipse, deprauati cuius-  
 „dam a librario, loci sanationem (haud eius quidem diffici-  
 „lem, quae patrem tamen aufugerat) adhibita metri ratione  
 „inuenissem; ita gaudio meo indulgebat, vt in adnotatione,  
 „textui subiecta, profiteretur, a filio sese monitum (sicuti  
 „conieceram) emendare.

„Ita institutus, anno aetatis XVIII. scholae valedixi, et  
 „primus equidem oratione sollemni, iubente eam V. S. V.  
 „KNITTELIO, quam versibus Latinis conscripseram. Hanc  
 „autem

„autem postea valedicentium caerimoniam IDEM scholae aman-  
 „tiffimus EPHORVS conseruari voluit.

„Sed in enarrandis pueritiae studiis si cui fortasse loquacior  
 „fuisse videar, eum cogitare velim, in schola me istos annos  
 „consumsisse, cui nisi omnia, plurima tamen refero; scholasti-  
 „corum persuasus praeceptorum ad formanda ingenia vt prio-  
 „rem operam, ita etiam academicorum esse longe potio-  
 „rem. In scholis enim minoribus versanti quamuis opus sit suo etiam  
 „labore, sua industria, inprimis tamen paedagogorum posci in  
 „regendis aequae ac docendis eruditionem, constantiam, fidem:  
 „in academiis autem, licet illustrioribus doctorum nominibus  
 „gaudere soleant, tum praecipue non tantum praelegenti esse  
 „tribuendum, quantum naturali discantis, iam excitato in scho-  
 „lis vigori et propriae contentioni. Ita me iudicantem si quis  
 „humani quid passum esse dicat, quippe qui, ipse scholasticus  
 „futurus praeceptor, plura scholae dederim, haud quidem re-  
 „pugno; nec in recitanda tamen vita mea academica remittam  
 „aliquid a proposita breuitate, si nullam aliam ob causam, re-  
 „uerentia saltem adductus; ne de me ipse copiosius edisserens,  
 „crimen nisi impudentiae, garrulitatis certe incurram.

„Iam primum in academia patria integrum annum SVM-  
 „MORUM VV. praelectionibus, HARDTII, CARPZOVII, REHKOPFII  
 „theologicis atque Hebraicis; philologicis WERNSDORFII in  
 „Horatium de A. P. et partitiones Ciceronis oratorias; SCHI-  
 „RACHII autem in Homeri Iliada; FERBERI deinde philosophi-  
 „cis tribuebam; Gallicis BEAVREGARDII. Adscriptus, eiusdem  
 „V. CL. FERBERI priuatum deosculanti praesidium, societati La-  
 „tinae, Viris innotui optimis ANT. AVG. HENR. LICHTENSTENIO,




„nunc apud Hamburgenses correctori, AVGVSTO CHRISTIANO  
 „BARTELS, ad S. Martini, quae Brunsvigae est, V. D. Ministro;  
 „et quem Erkerodana iam expectat ecclesia, FERD. CAROL. AV-  
 „GVSTO HENKIO, quorum, triumvirorum meorum, quamuis  
 „tantos prae me processus efficiebant, vt euolare, non excur-  
 „rere viderentur, aemulatione incitabar, egregio exemplo eri-  
 „gebar, amicitia denique, apud omnes TALIVM VV. aequos  
 „aestimatores optima commendatrice, et Helmstadii et Gottin-  
 „gae postea gaudebam. Anno absumto Gottingam me contuli.  
 „Succurrebant autem curtae rei patris summi patroni; quorum  
 „ope adiutus, publicis in hos vsus erogatis sumtibus filium per  
 „duo annos et, qui excurrit, dimidium in externa academia sus-  
 „tentavit. Nec defraudandi merita gratia pii manes VV. quon-  
 „dam GENEROSISSIMORVM, CHRISTOPHORI DE HEIMBURG et  
 „IVSTI HENR. DE BOETTICHER, qui discenti vel priuatis facul-  
 „tatibus, vltro oblatis, inseruiebant. Nec tamen per annonae  
 „difficultatem, qua laboratum est annis LXXI. LXXII. LXXIII.  
 „ibi commorari potuissem, nisi diuina prouidentia prospexisset.  
 „Mittebat enim patri, scholae Guelpherbytanae fama motus,  
 „b. GEO. HENR. AYRER, publicorum conuictuum, quos in aca-  
 „demia Georgia litteris studentes habent, eo tempore rector,  
 „iuuenem, quem mire adamabat, erudiendum. Ayrierius igi-  
 „tur, vt remuneraretur officium, nec non vt VIRI, si non omni,  
 „mea certe laude maioris, S. V. IO. ERID. GVIL. IERVSALEMI  
 „commendationi satisfaceret gratissimae, toto tempore, quod  
 „Gottingae essem, iis me substituebat, qui per valetudinem, aut  
 „absentiam collato in se beneficio frui non poterant. Nec id  
 „in tanto numero erat difficile.

„Interfui

„Interfui autem ILLUSTRIS NOMINIS THEOLOGORVM scho-  
„lis, WALCHII, ZACHARIAE, LESSII dogmaticis, exeget. histori-  
„coëceles. polemic. symbolic. antideist. moralib. homileticis:  
„MICHAELIS exegeticis Graecis et Hebraic. ERXLEBII physicae;  
„HOLLMANNI astronomicae, qua potissimum Deum esse conui-  
„ctus gaudebam; mineralogicae BECMANNI: Gallicis COLOMII,  
„SPANGENBERGII Anglicanis. Simul vt profanae inseruirem eru-  
„ditioni, HEYNIUM audiebam, MAGNUM ILLVD LVMEN Germa-  
„niae, explicantem Aeschyli Promethea δεσμώτην, Sophoclis  
„Aiacem μασιγοφόρον, Euripidis Phoenissas, et Graecam anti-  
„quitatem: DIEZIVM quoque Horatii odas praelegentem. Pater  
„ex academiis litteras alia quam Latina lingua ad se dare pro-  
„hibuerat.

„Ita vel scholae, vel ecclesiae, quae potissimum vocatu-  
„ra esset, praeparatum me credens, reditum ad patrem para-  
„bam, eius consiliis porro priuata studia recturus. Aliter  
„Summo Numini visum. Iam enim ad patrem inscio me litte-  
„ras dederat, Brunsvigae scriptas, PRAENOBILISSIMVS VIR,  
„IVL. AVG. BOKELMANN, thesaurorum, qui ex terris Wolfen-  
„bittelanis publice collati apud Ipsum deponuntur, rationibus  
„curandis praefectus; quibus litteris rogabat, vti ego, ab IO.  
„BEN. CARPZOVIO, v. s. v. sibi commendatus (et Huic per  
„BARTELSIVM supra laudatum) filiorum suorum paedagogus  
„esse non recusarem. Id pater meus, cui cum omnibus bonis  
„haud ignota esset summa VIRI humanitas, non aspernandum  
„rebatur: nec ego, iuuenum erudiendorum prouinciam, vi-  
„tae quam destinaueram tam belle conuenientem, accipere  
„dubitabam. Sed ornatissimi BOKELMANNI iuuenes, Georgius,  
„Henricus, Carolus, dulcia mihi nomina, ab antecessore meo,



„Viro pl. Reu. SAMTLEBIO, nunc apud Velthemenses sacrorum  
 „antistite, ita iam instituti erant, vt cum iis ad Horatium sta-  
 „tim, Liuium, Virgilium, paullo post ad Xenophontem, He-  
 „rodotum, Homerum incumbere potuerim.

„Prouidam autem Dei O. M. gubernationem respiciens,  
 „tota mente commoueor, qui in patriam reductum eam potis-  
 „simum in domum me intulit, in qua et Ipsius Heri et lectis-  
 „sime Eius CONIUGIS, aequae, ac parentes de liberis merentur,  
 „de me merentium, in perpetuum liberalitate deuincirer, co-  
 „mitate, beneficentia: in qua denique domo per integrum lu-  
 „strum ad insequens vitae genus mihi praemuniri quodam mo-  
 „do et quotidiana exercitatione licuerit praeparari.

„Post illud quinquennium pater, cuius in amplexibus  
 „libenter extremum vitae spiritum ediderim, vi morbi oppres-  
 „sus decessit. Oculos morte cadentes manu filius composui.  
 „Absentis autem cogitatione complexus memoriam, (quam  
 „V. CL. LEISTE honestissime vt amicus, studiosissime vt colle-  
 „ga, quas modo legistis, plagulis profequutus est) inter innu-  
 „mera paterni amoris beneficia id sane praecipuum colo reco-  
 „loque, quod mihi adhuc pufioni nouercam dederat, quae,  
 „vt in pauca conferam, cuncta maternae pietatis officia in me  
 „educando exsequuta est. Et vix illa quidem superstes fuit ma-  
 „rito, cuius desiderio confecta quum grauem in morbum inci-  
 „disset, aegerrime nuper conualuit. Ita de matre me pericli-  
 „tantem, qui patre paucos ante dies orbatus eram, tamque  
 „grauibus domesticis vulneribus dolentem, Tu, Deus O. M.  
 „seruasti, Tu, in quo afflictis omnibus leuamen est vno; nec  
 „vitae solum seruasti, sed solatio quoque OPTIMI PATRIAE  
 „PATRIS



„PATRIS MITISSIMO. Tanta enim CLEMENTISSIMI  
 „fuit PRINCIPIS gratia, vt SUPREMI SENATVS SVI motus  
 „suffragiis, annuere FRATRVM BOKELMANNORVM atque  
 „IERVSALEMI beneuolis VV. SVMMORVM de me testimoniis  
 „non dedignaretur, iuberetque, vt inter scholae Guelpherbyta-  
 „nae doctores idem locus mihi commendaretur, quem ante  
 „hos vndetriginta annos primo pater obtinuerat. Tum in SE-  
 „NATORIO res sacras DIIVDICANTIVM CONSESSV  
 „a S. V. gymnasii EPHORO d. xxvi. Octobr. examinatus  
 „sum. In eadem basilica d. vii. Nouembr. ita me victurum  
 „iuravi, vt boni ciuis est; ita docturum esse, vt fidi doctoris.  
 „Quod vt a me promissum inuiolate sancteque habeatur ac ser-  
 „uetur, nec vt sciens fallam, Tua, Deus, quem iurans testem  
 „feci, summa gratia secundabit.

„Scripta in publicum nulla emisi, praeter quosdam, colle-  
 „ctionibus aliorum insertos, leuis fortasse momenti versiculos.  
 „Numeris Latinis luseram, vernaculis alios. Annaei Flori epi-  
 „tomen H. R. et L. Senecae controuersiarum proemia cum  
 „MSS. Wolfenbottelanorum thesaurorum codicibus iam col-  
 „lata, editioni praeparabam. Mors patris interuenit. Magis  
 „e re publica visum, eius potissimum adhuc ineditas in varios  
 „veterum scriptorum curas ad lucem proferre. Quaedam ab  
 „eo in *Sophoclem* adnotata Generosiss. SCHIRACHIVS, Professor  
 „Helmstadiensis; alia, in *Euripidis* Hecubam, Experientiss.  
 „MVSGRAVIUS, Londinensis, horum auctorum ( quas parant )  
 „editionibus suis diuulgabunt; ego vero quam primum *Tul-*  
 „*lium de officiis* cum commentariis duorum Heusingerorum in-  
 „tegris, patris mei ac patruus maioris.“

Craftino

Craſtino igitur die, qui felix fauſtusque ſit noſtro Gymnaſio, auſpiciis **SERENISSIMI PRINCIPIS** et auctoritate **SVPREMI SYNEDRII**, a **SVMME VENERABILI EPHORO** **CLARISSIMVS HEVSINGERVS** mecum in primum ciuium noſtrorum auditorium deducetur, et ſuſceptis *in me Reſtoris* partibus oratione latina, quæ *optimam ſcholastici reſtoris virtutem* exponit, ille *Conreſtoris* munia capeſſet, itidem latine *de graecae linguae facilitate* diſſerens.

Quam Panegyriſ **MAECENATES SVMMI**, omnesque Gymnaſii noſtri, bonarumque litterarum **PATRONI** ac **FAVTORES** ſplendidiffima frequentia concelebrent, animosque manifeſto hoc beniuolentiae ſigno nobis addant, omni, qua par eſt, obſeruantia rogo.

P. P. Guelpherbyti Prid. Kal. Dec. cIoCCCLXXXVIII.



B. erw. D. 1589, 74<sup>d</sup>

